

Michael Cobabus Joachim Rhaw

Disputatio Analytico-Theologica super Cap. 2. & partem priorem Cap. 3. Epist. ad Rom: exhibens Pauli Apostoli ... dissertationem de Statu, & Ratione Status, Omnium Pharisaeorum, apud Deum, vel in in iudicio iusti, & summi iudicis


Rostochii: Richelius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740035339>

Druck Freier  Zugang



*RU. Med. 1663
Michael Lobatus
Veni: Joachim Rhau*



DISPUTATIO ANALYTICO - THEOLOGICA

super Cap. 2. & partem priorem Cap. 3.

Epist. ad Rom:

exhibens

Pauli Apostoli, Servi Domini nostri Jesu Christi,
dissertationem de

STATU,

&

RATIONE STATUS,

Omnium Phariseorum, apud Deum,

vel in iudicio iusti, & summi iudicis,

quam

Domino nostro Jesu Christo

auxiliante

Amplissima Facultatis Theologica consensu,

sub Presidio

DN. MICHAELIS COBABI,

Theol. D. & Prof. P. publicæ eruditorum

disquisitioni submittit.

JOACHIMUS RHAUU,

Gryphisvv. Pomer.

In Auditorio Majori die Julij.

✻

ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senatus Typogr. 1663.

1663

Universitäts
Bibliothek
Rostock

Pauli servi Domini nostri Jesu Christi
Dissertatio de
Pharisæorum, & hypocritarum statu
apud Deum, vel in judicio justis,
& supremi judicis.

Capite Primo Epistolæ ad Romanos Apostolus Paulus servus Domini nostri Jesu Christi detexit statum Gentilium, nullumq; gentilem, quo sese apud Deum excuset, atq; defendat, habere, satis evidenter declaravit. Capite Secundo Apostolus cum Phariseo disserit de ratione status Judæorum apud Deum, ut, sicuti gentibus, illis quoq; omnem adimat opinionem justitiæ propriæ, nullumq; Judæum prærogativâ quadam apud Deum præ gentibus gaudere, argumentis indubijs demonstrat. Contradicens, qui hic introducitur, est Phariseus speciosè glorians de lege, & ethnicum condemnans, sicuti illud è contextu est clarum, & ipsa docet disputatio. Balduinus in sua analysi illum vocat pertinacem, & importunum Judæum. Hic gentium reprehensionem ab Apostolo factam omnibus modis probans, ipsum ita poterat alloqui: Paule, tu rectissimè omnem justitiæ laudem detraxisti gentibus; quis enim, quæ ignorant, illas oppletas esse omnium veritate, & veritate atq; justitiam Dei injustè, veluti captivam, & oppressam obedientiâ detinere? Annon Græci à vera sapientia ita aberrarunt in disquisitionibus de Deo insititis, ut ad extremam delapsi sint stultitiam, dum sine cognitionis Dei reiecto, & non ponderato, gloriam incorruptibili Deo debitam ad creaturas transferre, & contra omnem rationem pro Dijs colere non erubuerunt, quos olim vel homines, vel aliud corruptibile in terris fuisse cognoverunt: Illi ipsi sunt, qui Dei veritatem transmutarunt in falsitatem, & venerati sunt, & coluerunt res conditas, præterito Creatore, qui est benedictus in secula: illos non probantes, Deum in agnitione habere, in mentem Deus tradidit reprobam, omnis-

A

omnisq; iudicij expertem, ut faciant, que minimè conveniunt. Tantum itaq; abest, ut vel ipsi Philosophi, apud Græcos excellentes, habeant, & inveniant, quo sese apud Deum excusent, ut etiam illis omnis excusatio sit præcisa, & adempta. Illud verò dici nequit de Judæis, populo illo sancto, electo, & in carne habente, quo sese in iudicio Dei defendat, quod meo exemplo dilucidè testatum faciam, proinde ita argumentor.

Ego alterum iudico,

E. Ego apud Deum sum excusabilis: Ego habeo, quo me apud Deum excusem, & defendam.

R: Apostolus argumentum invertendo,

Tu alterum iudicas,

E. Tu apud Deum non es excusabilis. Tu non habes, quo te in iudicio Dei excuses, atq; defendas.

Consequens (1. proponit v. 1. *Quapropter inexcusabilis es ó homo quisquis alterum iudicas.* Ubi Apostolus tacitè hortatur Pharisæum, ut in se descendat, &, qualis naturâ sit, cogitet, ne obliviscatur, se hominem esse, sed perpendat, humani à se nihil esse alienum.

(2. probat ex effectu seq: argumento;

Tu, in quo alterum iudicas, teipsum in tua conscientia condemnas, vel condemnatione dignum ostendis.

E. Tu apud Deum excusabilis, tu non habes, quo te apud Deum excuses, atq; defendas:

v. 1. Antecedens (α) proponit v. eodem; *Nam in quo alterum iudicas teipsum condemnas:* Vbi Apostolus docet, quod Pharisæi iudicium sit temerarium, inordinatum, & hypocriticum, cum in seipso inveniat, propter quod iudicetur, & alterum condemnans seipsum condemnabilem, vel condemnatione dignum exhibeat.

(β) probat seq: argumento,

Tu alterum iudicans eadem agis.

E. Tu alterum iudicans teipsum in tua conscientia condemnas,

Ante-

Antecedens proponit versu eodem: *Eadem enim agit tu, qui aliam judicas.* Consequens erat evidens, & clarum. Nam in alio qui redarguit, & culpam, ut peccata odisse, & detestari videatur; eadem autem in occulto agit, iisdemq; vel genere, vel specie laborat vitij, ille eo ipso suam allegat turpitudinem, & contra semetipsum fert sententiam, quamvis fucatâ specie, fidei sanctimonie miris modis extrinsecus sese efferat, & à quibusdam vitij, aut metu pœnæ, aut laudis humanæ intuitu, non verò amore justitiæ, & gloriæ Dei promovendæ abtineat. Hâc responsione data, Phariseus instat, & regerit:

Me Deus in novissimo die non condemnabit.

E. Ego sum excusabilis apud Deum: Ego habeo, quo me excusam, atq; defendam in judicio Dei.

Antecedens probo; Nam mihi favet, ac ablanditur divina clementia: Ego habeo, quicquid cor meum desideret; mihi cogitanti, nunquam futurum esse, ut condemner in judicio divino, data sunt divitiæ bonitatis Dei, &c.

R. Apostolus ad antecedens quòd sit absurdum: Nam 1. Impossibile est, ut tu eadem faciens declines, & evadas judicium Dei; Si enim tu eadem faciens effugeres judicium, & iram Dei, atq; non condemnareris, judicium Dei non esset secundum veritatem, & æqualitatem adversus eos, qui talia agunt, quæ tu agis: *Scimus autem nos Judæi, judicium Dei esse secundum veritatem adversus eos, qui talia agunt, quod proponit v. 2.* (2.) Cogitatio tua, quâ tu cogitas, fore, ut in novissimo die non condemneris, est vana, & inepta. Nam effugere judicium Dei, & committere peccata, propter quæ alij pescatores gentiles in judicio divino condemnantur, non possunt simul stare, & dici de eodem subiecto: Cur itaq; tu cogitas, O miser homò! fore, ut gentilis propter peccata condemnetur, tu verò propter illa non condemneris, quod 1. proponit v. 3. *Cogitas autem hoc, ô homo! qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis ea, fore, ut tu effugias judicium Dei,* 2. Probat seq: argto:

v. 2.

v. 3.

A 2

Tu

Tu divitias bonitatis Dei, & tolerantiae, & lenitatis contemnis.

E. Tu non effugies iudicium Dei. Tu in novissimo die condemnaberis.

7.4. Antecedens 1. Proponit v. 4. *Aut divitias benignitatis ejus, & tolerantiae, & lenitatis contemnis?* 2. Probat quod contemnat (α) divitias bonitatis Dei (β) divitias tolerantiae, & lenitatis, Dei. Prius probat seq: argumento.

Tu ignoras, te bonitate Dei ad resipiscendum invitari, & deduci.

E. Tu contemnis divitias bonitatis Dei.

Antecedens proponit v. 4. *Ignorans, te benignitate Dei ad resipiscendum deduci.* Consequens probatur. Nam tibi Deus exhibet de die in diem divitias bonitatis suae, ut resipiscas, & fias nova creatura, ac cum Christo patiaris. Tu verò ignoras finem oblatae bonitatis Dei. Tua ignorantia est affectata, est ignorantia privationis, vel pravæ dispositionis, quæ ex supina oscitantia, & securitate præfactè in peccatis tuis perseveras. Tu ignoras, quod nemo mortalium ignorare debebat; Tibi Deus & locum, & tempus concedit ad resipiscendum; Tu verò densissimis tenebris involutus largissimâ Dei bonitate ad peccandi licentiam abuteris, & quod maturè corrigere, & emendare debebas, indes magis magisq; facis deterius.

Posterius probat seq: argumento.

Tu pro duritia tua, & corde, quod pœnitere nescit, thesaurizas, & accumulās tibi ipsi iram in diem iræ, & patrefactionis iusti iudicij Dei.

E. Tu contemnis divitias tolerantiae & lenitatis Dei.

Consequens probatur: Nam positâ duritia, & corde, quod pœnitere nescit, non potest non poni contemptus divitiarum, cum tolerantiae, & lenitatis Dei. Si igitur tu non contemneres divitias cum tolerantia quâ Deus, ut tandem resipiscas, astutiae tuae perversitatem perfert, & tolerat, tum lenitatis, vel longanimitatis, quâ pœnam, vel vindictam Deus in longum tempus differt; pro
du-

duritia tua, & corde, quod pœnitere nescit, non accumulares tibi ipsi iram, in diem iræ & patefactionis justi iudicij Dei: *Sed pro duritia tua, & corde, quod pœnitere nescit thesauritas tibi ipsi iram in diem ira & patefactionis justi iudicij Dei, quod 1. proponit v. 5.* Vbi Ap. docet, quòd hypocrita non tantùm sibi ipsi sit obstaculo, quò minus ad sanam mentem redeat, siquidem contemnit diviti-
as bonitatis, tolerantia, & longanimitatis Dei, verùm etiam gravius sibi accersat iudicium, Deiq; iram, & vindictam sibi accumulet in diem iræ, & patefactionis justi iudicij Dei, quia cor suum impœnitens magis magisq; obdurat, & longanimitate Dei non patitur sese flecti, & corrigi.

Antecedens probat seqv. argumento:

Tibi Deus reddet in novissimo die secundum opera tua.

E. Tu pro duritia tua, & corde, quòd pœnitere nescit tibi ipsi thesaurizas, & aggravas iram in diem iræ, & patefactionis justi iudicij Dei.

Consequens est manifestum. Si enim Deus hypocritæ redditurus est secundum opera in die iræ, & patefactionis justi iudicij Dei; sequitur tantò graviorem futuram esse pœnam, & vindictam, quantò gravius est delictum. vel quantò magis cumulantur peccata instar thesauri, & crescit peccandi consuetudo. Lento quidem gradù ad vindictam divina procedit ira, sed tarditatem gravitate supplicij compensat.

Antecedens probat seqv. Argumento:

Vnicuiq; Deus reddet in novissimo die secundum opera ipsius.

E. Tibi quoq; Deus reddet in novissimo die secundum opera tua.

Antecedens (A) proponit v. 6. *Qui reddet unicuiq; secundum opera ipsius.* (B) amplificat per $\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\mu\epsilon\tau\alpha$ vel distributionem, quâ illos, quibus Deus redditurus est secundum opera distribuit in duas partes: una secundum patientem expectationem quarit boni operis gloriam, honorem, & immortalitatem: altera est parte

litigiosa, & veritati quidem non obediens, obediens autem i-
justitiae: Illi quidem Deus in novissimo die dabit vitam æternam:
7. 7. 8. Hanc verò manebit exardescencia, & ira, vel poena infernalis
quod i. proponit v. 7. 8. *Illis quidem, qui secundum patientem expe-*
ctationem querunt boni operis gloriam, & honorem, & immortalita-
tem, vitam æternam: Litigiosis, verò & veritati quidem non obedi-
tibus; obedientibus a. injustitia, exardescencia, & ira. Ubi vita
æterna non mercedis loco decernitur bene operantibus, hoc enim
manifestò adversatur scopo Apostoli, ipsiq; contextui, quando-
quidem Apostolus in eo potissimùm versatur, ut probeat, quòd
omnes homines sint peccatores, & propterea apud Deum nullus
homo ex operibus justificetur, sicut patebit ex sequentibus. Qui
igitur, ex hoc loco probari posse, asserunt, quòd fideles per bona
opera apud Deum sint justì, & vitam æternam consequantur, illi
committunt fallaciam causæ. Nam Apostolus non dicit propter
opera, sed secundum opera, id est secundum bonorum operum
testimonium, & hoc loco describit qualitatem subjecti, quod
justificatur, & vitam æternam consequitur, non verò justifica-
tionis, & salutis æternæ causam meritoriam.

Quod litigiosos, & veritati non obediens, obediens autem
injustitiæ maneat exardescencia, & ira probat seqv. argumento.

Adversus litigiosos, & veritati non obediens, obedi-
entes autem injustitiæ veniet afflictio, & angustia.

E. Litigiosos, & veritati non obediens, obediens a in-
justitiæ manebit exardescencia, & ira.

7. 9. Antecedens probat, quia *afflictio, & angustia erit adversus omnem*
animam a. hominis perpetrantis malum, quod i. proponit v. 9. 2. Pro-
bat per inductionem seqv. argumento.

Afflictio, & angustia erit adversus animam Judæi in primis
perpetrantis malum: Afflictio & angustia erit adversus animam
Græci perpetrantis malum.

E. Afflictio, & angustia erit adversus omnem animam ho-
minis perpetrantis malum.

Ante-

Antecedens (a) proponit v. eodem. *Afflictio & angustia erit adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judaei impiis, tum etiam Graeci.* (Tanta rationis status brevi futura est mutatio: Vigilemus igitur, quotquot nomen dedimus Domino nostro Jesu Christo: vigilemus, & sine fuco, sine hypocrisis expectemus vehementi desiderio admirandam illam humanarum rerum mutationem: nemo cordis sui occultam impuritatem tegat hypocrisis. Dominus noster Jesus Christus prope est: Dominus introspicens in intimos animorum recessus, mox veniet cum sanctis Angelis, & secundum veritatem, fuco, & dolo hypocritarum detecto, judicabit vivos & mortuos: vigilemus, ne coram supremo judice presentibus sanctis Angelis, & tota ecclesia triumphante in die irae, & patefactionis justii judicii Dei confundamur. Nullius conditio, & status ratio erit deterior: nullius poena gravior, quam hypocrisis, veritati non obedientis, obedientis a. injustitiae & iniquitati.)

(β) Amplificat per *liberum*, & afflictioni, & angustiae infernali, quam *ligiosi, & veritati non obedientes, obedientes autem injustitiae sentient in die irae, & patefactionis justii judicii Dei*, opponit gloriam, honorem, & pacem, bona illa caelestia, quae omnis anima bonum operans consequetur, quod 1. proponit v. 10. *Gloria verò, & honor, & pax erit omni animae operanti bonum.* Vbi bona opera non dicuntur causa vitae aeternae, sed ostenditur, quibus obtingat gloria, honor, & pax. 2. Probat seqv. argumento.

v. 10.

Judaeo operanti bonum erit gloria, honor, & pax: Graeco operanti bonum erit gloria, honor & pax,

E. Omni operanti bonum erit gloria, honor, & pax.

Antecedens proponit v. eodem. *Gloria verò & honor, & pax erit omni operanti bonum, tum Judaeo imprimis tum Graeco.*

Amplificatione absolutà redit Ap. ad v. 6. & (C) probat, Deum unicuique redditurum esse in extremo die secundum opera, seqv. argumento.

Apud Deum non est respectus personarum.

E. Deus unicuique reddet in novissimo die secundum opera ipsius.

Ante-

v. 11. Antecedens 1. Proponit v. 11. *Non enim est personarum respectus apud Deum.* Vbi apostolus docet, quod Deus non sit iudex uni, ob personarum discrimen, magis, quam alteri, favens. Nam justus iudex causam examinat, & juxta illius qualitatem sententiam pronunciat; injustus verò personam respicit, & prout erga illam est affectus, judicat. 2. Probat per inductionem sequenti argumento:

Deus non respicit Ethnicum peccantem absq; lege, neq; Judæum peccantem cum lege.

E. Apud Deum non est respectus personarum.

Antecedens probat per Sententiam: *Nam quicumq; absq; lege peccarunt absq; lege quoq; peribunt, & quicumq; cum lege peccarunt per legem damnabuntur,* quod proponit v. 12. Si Pharisæus regerit.

v. 12. Ego sum justus apud Deum;

E. Me Deus benigne respiciet in novissimo die: Me Deus non condemnabit in die iræ, in die patefactionis judicii justii.

Antecedens probo sequenti argumento:

Ego legem audio. E. Ego apud Deum sum justus.

R. Apostolus 1. distinguendo inter legem audientem, & servantem: & legem audientem, & non servantem. 2. Argumentum invertendo: Tu legem audis, non verò servas. E. Tu apud Deum non es justus. Consequens probat per *privilegiu* vel per sententiam, quæ omnibus debebat esse notissima. *Non enim qui audiunt legem justii sunt apud Deum, sed qui legem præstant justificabuntur.*

v. 13. Quod proponit v. 13. Vbi sermo est de justificatione legali. Nam Ap. hic disputat cum Pharisæo, qui non ex evangelio Domini nostri Jesu Christi, sed ex lege volebat justificari. Huic dicit, qui legem præstat justus est apud Deum, ut peccato agnito, saltem qui arat non amplius in lege, sed in evangelio, quod gratis offert salutem omni eredenti, sicuti in sequenti capite demonstrabitur. Quibus expositis Apostolus, priusquam ulterius progreditur, declarat, quid sit absq; lege peccare, & absq; lege

con-

condemnari. Nam absurdum videtur esse: gentes absq; lege peccasse, & absq; lege condemnati, quia 1. absq; lege nemo peccat, peccatum enim est ἀνομία, est aberratio à lege, quam obrem, non positâ lege, non potest poni peccatum. 2. Absq; lege nemo condemnatur: Vbi enim non est lex, ibi quoque nulla est condemnatio, Opponenti igitur.

Gentes non habent legem

E. Gentes non peccarunt, & per consequens: gentes in novissimo die, in die iræ, & patefactionis justii judicii Dei non condemnabuntur.

R. Ap. 1. Distingvendo inter legem scriptam, vel mosaicam, & legem gentibus naturaliter à Deo insitam, & implantatam. 2. Negando, quòd gentes simpliciter, & absolutè non habeant legem, quia habent legem sibi à Deo insitam, & implantatam, quod probat seqv: argumento:

Gentes, quæ legem non habent sc. scriptam, vel eodem modo, quo legem habent Judæi, naturæ ductu, vel naturali rationis lumine, quæ legis sunt, faciunt.

E. Gentes, quæ legem non habent sc. scriptam, vel eodem modo, quo illam habent Judæi, legem habent sibi à Deo insitam & implantatam.

Consequens probatur, nam naturæ ductu facere, quæ legis sunt, est actus secundus, qui non potest esse absq; actu primo, vel legis notitiâ. Antecedens 1. proponit v. 14. *Nam quum gentes, quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciunt* 2. probat seqv: argumento. v. 14.

Gentes legem mosaicam non habentes sibi ipsis sunt lex,

E. Gentes legem mosaicam non habentes, naturâ, vel rationis suæ judicio, quæ legis sunt, faciunt.

Antecedens 1. proponit v. eodem. *Ipsi legem non habentes sibi ipsis sunt lex.* 2. probat ex effectu gentium seqv: argumento.

B

Gen-

Gentes ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis,

E. Gentes, legem mosaicam, vel promulgatam non habentes, sibi ipsis sunt lex.

v. 15. Antecedens 1. proponit v. 15. *Qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis* dum intelligunt, quod bona sint facienda, mala verò fugienda, honestè vivendum, unicuiq; quod suum est, tribuendum, parentes honorandi, inopi subveniendum, depositum reddendum, iusta ferenda sit sententia &c. 2. probat seqv: argumento.

Gentium conscientia testatur, opus legis scriptum esse in cordibus ipsorum.

E. Gentes ostendunt, opus legis scriptum esse in cordibus suis.

Antecedens 1. proponit v. 15. *Testimonium ipsis reddente conscientia*, sc. quod opus legis scriptum sit in cordibus ipsarum. Vbi docetur, naturalem quandam de Deo colendo notitiam homini esse impressam 2. probat seqv: argumento:

Cogitationes gentium se mutuò accusant, aut etiam excusant.

E. Conscientia gentium testatur, opus legis scriptum in cordibus ipsarum.

Antecedens proponit v. eodem. *Cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus.* Nam Ethnicus, malo perpetrato, & bono omisso, seipsum, rationis dictamine adhibito, accusat; iniuste verò accusatus cogitando semetipsum excusat. Conscientiam accusantem comitatur tristitia ex malè factis orta; excusantem verò lætitia, quia hæc est bonus morus cordis conjunctus cum scientia recti facti; illa verò est motus cordis crucians, & tristis, cum scientia mali perpetrati conjunctus.

Amplificatione finitâ, redit Apostolus ad v. 12. & ita concludit, *Quicumq; igitur absq; lege peccarunt, absq; lege quoq; peribunt, & quicumq; cum lege peccarunt per legem quoq; damnabuntur in die, quo judicabit Dominus de occultis hominum secundum evangelium meum per Jesum Christum, quod proponit v. 16. Vbi*
evan-

v. 16.

evangelium accipitur non in illa significatione, quâ distinguitur à lege, sed quâ legem includit. Nam iudicium novissimum in die patefactionis iusti iudicij Dei instituetur, diversorum objectorum respectu, secundum legem, & evangelium: Secundum hoc credentes, lege, quam Christus nostri loco implevit, id approbante, absolventur; secundum illam verò impœnitentes, evangelio, quia in Christum non crediderunt, annuente, condemnabuntur. Nam sententia in novissimo die promulganda, nihil aliud est, quàm manifestatio, cum decreti, de salute finaliter credentium, & damnatione finaliter impœnitentium, ab æterno facti: tum sententiæ, ministerio verbi, de salute, & condemnatione singulorum, jam antè pronuntiata. Cum itaq; decretum electionis factum sit intuitu fidei, meritum Christi apprehendens; decretum verò reprobationis intuitu finalis incredulitatis; Credentes verò in tempore gratiæ ex evangelio sint absoluti, impœnitentes ex lege sint condemnati, futurum esse sequitur, ut in die novissimo credentium sententia promulgetur juxta evangelium propriè dictum, impœnitentium verò juxta legem evangelij luce collustram.

Qua responsione acceptâ, Phariseus, multis speciosis argumentis collectis, sequenti modo instat, & opponit.

Ego sum Judæus, & acquiesco in lege, & glorior in Deo: Ego novi voluntatem Dei, & exploro, quæ discrepant institutus ex lege: Ego sum dux cœcorum, lux eorum, qui sunt in tenebris, eruditor insipientium, magister infantium, & simplicium, habens formam cognitionis, & veritatis in lege.

E. Ego sum excusabilis apud Deum, Ego habeo, quo me defendam in iudicio Dei, ego in novissimo die non code-
mnor.

Antecedens Apostolus, 1. repetit v. 17, 18, 19, 20. Vbi Phari-^{v. 17, 18.}
sæum argumentis speciosis sibi blandientem, suasq; virtutes ple-^{19, 20.}
no ore deprædicantem, ita alloquitur: *Ecce, tu cognominaris Ju-
dæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem
ejus, & exploras, quæ discrepant institutus ex lege, confidias, re-
ducem*

Ducem esse cæcorum, lucem eorum, qui sunt in tenebris, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam cognitionis, & veritatis in lege. Vt autem hypocrita diligenter perpendat Sui status rationem, suæq; professionis, & gloriationis apertum periculum, & quomodo sine ulla fiducia, vanæq; ostentationis causâ sit argumentatus, præmittit apostolus in repetitione antecedentis particulam, Ecce. 2. Distinctè respondet, & negat, quòd Pharisæus (a) sit dux cæcorum, & lux eorum, qui sunt in tenebris, eruditor insipientium, magister infantium, &c: (b) de lege, & in Deo possit gloriari (c) sit verus Judæus.

Quòd (a) non sit dux cæcorum, neq; lux eorum, qui sunt in tenebris, neq; eruditor insipientium, & magister infantium habens imaginem formæ cognitionis, ac veritatis in lege, probat seq: argumento.

Tu confidis, te esse ducem cæcorum: Tu falsissimè tibi persuades, & imaginaris, quòd sis lux eorum, qui sunt in tenebris, & eruditor insipientium: Tu teipsum non doces.

E. Tu non es dux cæcorum, neq; lux eorum, qui sunt in tenebris: Tu non es eruditor insipientium, neq; magister infantium; Tu non habes imaginem formæ cognitionis, ac veritatis in lege.

Antecedens probatur ex effectu, quia tu cæcus es: Tu non intelligis legem: Tu violas utramq; legis tabulam: Tu furaris: Tu per fraudem aliorum facultates ad te attrahis: Tu peccata populi comedis: Tu prætextu longarum precum viduarum domus devoras: Tu mœcharis impuris tuis affectibus: Tu sacrilegium admittis: Tua vita non respondet legis professioni.

Consequens probat, quia impossibile est, ut ille sit dux cæcorum, eruditor insipientium, lumen eorum, qui sunt in tenebris &c. qui seipsum non docet, nam si cæcus cæco viæ dux fuerit, nonne ambo in foveam cadunt? Quod proponit figurate
V. 21. 22.

Qui

Qui igitur doces alium, teipsum non doces? qui predicas non faciendum, fur aris? qui dicit, non machbandum, machbaris? qui abominaris idola, sacrilegium admittis?

(β) Quod de lege, & in Deo non possit gloriari, probat seq. argumento.

Tu per legis transgressionem dedecoras Deum: Tu non sanctificas nomen Domini: Tu sine vera fiducia gloriaris, quod Deus sit Deus tuus: Tu superstudiosis cultibus, & vitæ pravitate lædis honorem, & gloriam Dei.

E. Tu de lege, & in Deo gloriari nequis: tua gloriatio, quæ in Deo, & de lege gloriaris, est vana, & inanis.

Consequens probatur; Nam in Deo, & de lege gloriari, & per legis transgressionem Deum dehonestare sunt pugnantia; absurdum itaq; & impossibile est, te per legis transgressionem Deum dedecorare. & simul in Deo, & de lege gloriari, quod proponit v. 23; *Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum dedecoras?* v. 23.

Antecedens probat ex effectu, & illustrat scripturæ testimonio: Nam nomen Dei, ait v. 24. *Propter vos blasphematur inter gentes sicut scriptum est.* v. 24.

Huic responsioni Phariseus opponit seq. argumentum

Mihi apud Deum prodest circumcisio: Ethnicus, apud Deum nocet præputium.

E. Ego de lege, & in Deo gloriari possum. Mea gloriatio non est vana, & inanis: Ego apud Deum sum excusabilis: Ethnicus a. apud Deum est inexcusabilis: ethnicus non habet, quo gloriatur.

R. Apostolus ad Antecedens negando. Nam (1.) Tibi apud Deum non prodest circumcisio: tu per circumcisionem tuam carnalem, & literalem non es in alio statu, quàm in quo est ethnicus infidelis. tu non servas legem: tu transgressor es legis: tu es incircumciscus corde, & auribus; tua circumcisio facta est præputium, quomodo igitur apud Deum tua conditio potest esse melior, vel alia, quàm præputij, vel Ethnici infidelis? quod proponit v. 25. v. 25.

B 3

Nam

Nam circumcisio quidem prodest, si legem serves; si verò transgressor legis fueris, circumcisio tua facta est præputium. Vbi Apostolus non dicit, quòd Pharisæus legem servare, vel factis explere possit, sed loquitur ex hypothese, & docet, quòd Pharisæo, qui nolit esse Judæus in occulto; vel Christianus in Christum credens, non proficit circumcisio externa, & carnalis apud Deum, nisi legem perfectè servet, & impleat. Nam Moses describit justiciam, quæ ex lege est, quòd qui præstiterit ea, vivet per illa Rom: 10. 5. unde in Epistola ad Gal: cap: 5. v. 3. testor, inquit Apostolus, rursum omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis servandæ. (2.) Ethnico non nocet præputium, si legem servet, & impleat: Nam Ethnici præputium, si jura legis, vel præcepta moralia servet, extra omnem controversiam pro circumcisione reputabitur. quod 1. proponit v. 26. *Si igitur præputium, vel Ethnicus jura legis servet, nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur?* ubi Ap. non dicit, quòd ethnicus possit legem Dei servare, sed denuo loquitur ex hypothese, & docet, quòd Ethnico præputium non noceat, si legem servet, & custodiat. 2. probat seq. argumento.

v. 26.

Ethnicus, vel quod naturà est præputium, si legem servet, damnabit te Pharisæum, qui per literalem, vel carnalem circumcisionem transgressor es legis.

E. Ethnici præputium, si jura legis servet, pro circumcisione reputabitur.

v. 27. Antecedens proponit v. 27. *Et quod ex natura est præputium, nonne si legem servet, damnabit te, qui per literam, & circumcisionem transgressor es legis?* ubi præputium accipitur figuratè, vel metonymicè pro Ethnico præputium habente.

(γ) Quod non sit verus Judæus, vel Judæus apud Deum, sed Judæus tantum cognominetur, probat seq. argumento.

Tu non es Judæus in occulto, & in Spiritu, vel Judæus Spiritualis; sed Judæus in propatulo, & secundum carnem, vel Judæus carnalis;

Ethni-

Ethnicus autem in Christum credens est Judæus in occulto, & in Spiritu, vel Judæus Spirituualis.

E. Tu non es verus Judæus, tu non es Judæus apud Deum; Ethnicus a. in Christum credens est Judæus in occulto, est Judæus apud Deum, est verus Judæus.

Consequens probatur per Sententiam. *Non enim, qui in propatulo Judæus, Judæus est, sed qui in occulto est Judæus, Judæus est:* quod 1. proponit v. 28. 29. 2. probat, quia hujus Judæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo.

Hæc apostoli responsio videbatur esse absurda, & pugnare cum Judæorum circumcissione, quamobrem Phariseus ita instat, & opponit.

Ego sum circumcissus; Ethnicus autem in Christum credens non est circumcissus.

E. Ego sum verus Judæus; Ethnicus autem in Christum credens non est verus Judæus.

R. ap. 1. Distinguendo inter circumcissionem cordis, in Spiritu, vel in occulto, & circumcissionem carnis, in litera, vel propatulo. 2. argumentum invertendo.

Tu es circumcissus circumcissione carnis, in litera, vel in propatulo, non verò circumcissione cordis, in Spiritu, & in occulto? Ethnicus a. in Christum credens est circumcissus, circumcissione cordis.

E. Tu non es verus Judæus; Ethnicus autem in Christum credens est verus Judæus, est filius Abrahami, est verus Israelita, est Judæus secundum promissionum.

Consequens probatur per Sententiam. *Non enim ea circumcissio, quæ est circumcissio in propatulo, vel circumcissio in carne est circumcissio apud Deum; Sed circumcissio cordis, & circumcissio in Spiritu, vel virtute Spiritus Sancti facta, est circumcissio apud Deum.* quod 1. proponit v. 28. 29. 2. probat v. ultimo. Nam hujus circumcissionis laus non est ex hominibus, sed ex Deo; tuæ verò circumcissionis laus non est ex Deo, sed ex hominibus. Noli itaque Pharisee, amplius gloriari de lege, quòd sis circumcissus, & habeas, quod te defendas ap. Deum; Ethnicus a. nihil habeat, quo gloriatur:

ab-

absurdum enim est, Judæum gloriari, quòd sic circumciscus, non
v. circumciscus, circumcissione cordis, vel in Spiritu. Mitte
vanam, & inanem illam gloriationem, & disce à Christo totius
mundi Redemptore, quo pacto cor tuum circumcidas, ut à Deo
pro circumciscio habearis, & tua laus non sit ex hominibus, sed

CAP. III. ex Deo.

Responsioni datæ, quòd Judæi non sit potior apud Deum con-
ditio, quàm ethnici, Phariseus arrogantia tumens, opponit se-
quens argumentum.

Judæi non alia est conditio apud Deum, quàm Eth-
nici.

E. Judæi nulla est præ eminentia, & circumcissionis nulla est
utilitas.

Consequens est absurdum, & intolerabile (quis enim tam
rudis, & ignarus est, ut Judæorum præ eminentiam ignoret? an est
gens, ut est gens ista? Jacob annunciavit Deus verbum suum, &
Israel justitias, & judicia sua, num fecit taliter omni nationis)
E. & antecedens est absurdum, & intolerabile. Consequens

p. 1. proponitur per ἐξάρτησιν v. 1. *Quæ igitur est præstantia Judæi,
& qua est utilitas circumcissionis, si Judæus non præstet eth-
nico?*

R. ad Consequens (A) distinguendo inter præcellentiam Judæ-
orum ratione privilegiorum, & beneficiorum, quibus à Deo in
V. T. sunt donati.

V. T. (B) Concedendo, quòd posteriori modo, vel ratione beneficio-
rum à Deo acceptorum Judæi magnam præ eminentiam præcellant
gentibus. Nam multum per omnem modum Judæi hoc modo

p. 2. in V. T. præcellerunt gentibus. quod 1. proponit v. 2. *Multum per
omnem modum.* 2. probat, Primarium enim, & summum benefi-
cium, Judæis præ gentibus in V. T. exhibitum, est, quòd ipsis conere-
dita sint eloquia Dei, quod proponit v. 2. *Primarium enim est, quòd
eis coneredita sint eloquia Dei.* (C) Negando quòd nulla in V. T. fuerit
utilitas circumcissionis: non enim sequitur: circumciscio Judæis

in-

incredulis, vel impœnitentibus non profuit, E. Circumcisio nullam in V. T. habuit utilitatem. Nam quorundam Judæorum incredulitas non obstat Dei promissioni patribus factæ, quod 1. proponit v. 3. Quid enim sc. obstat, quò minus circumcisio in V. T. suam habuerit utilitatem, si quidam Judæi externè circumcisi non crediderunt, vel infidi fuerunt? 2. probat seq. argumento.

v. 3.

Judæorum quorundam incredulitas fidem, vel fidelem promissionem Dei non reddit cassam, & inanem.

E. Judæorum quorundam incredulitas non obstat Dei promissioni patribus factæ.

Antecedens 1. proponit v. 3. *Num ipsorum incredulitas fidem Dei cassum reddet? absit*, indignum hoc est cogitatu, absurdum, & impossibile. 2. probat: Nam si ipsorum incredulitas irritam, & inanem redderet Dei fidem, Deus non esset verax; *Est a. Deus verax; omnis a. homo mendax*: quod 1. proponit v. 4. Vbi Apostolus docet, Deum firmiter servare, quod homini promittit, hominem verò non servare, quod Deo promittit. Nam fœdus Dei ex parte Dei manet ratum, & illibatum: Si infidi sumus, ille tamen fidus manet, negare se ipsum non potest: 2. Tim. 2, 13. Ex partè a. hominis, in quo est defectus obedientiæ, vel fidei, fœdus fit irritum. Nam promissio Dei non est absolutà, sed conditionata, & propterea non est rata, nisi impleatur conditio ab homine, siquidem fœdus non alio consilio est factum, quàm ut promissionis fœderis participes nant illi, qui eam servant, & fide recipiunt. 2. Probat, quòd Deus sit verax in promissione sua eamq; servet inconcussam, & invariabilem seq. argumento.

v. 4.

Deus justificatur in Sermonibus suis, & vincit, quando judicatur.

E. Deus est verax in promissione sua, eamq; non retractat, non rescindit, sed servat inconcussam, & invariabilem.

Antecedens probat; Nam scriptum est, Psal. 51, 6. & Psal. 116, 11. *Vt iustificeris in sermonibus, & vincas, quando tu judicaris*: Si opponitur;

C

Ho-

Homo est mendax, vel injustus, & non servat, quod Deo promissit, ut Deus justificetur in sermonibus suis, & vincat, quando judicatur.

E. Hominis mendacium, & injustitia justitiam Dei commendat, & illustrem reddit.

R. Quod absurdum sit (α) Consequens. Nam Deus injustitiam hominis irascitur, eamq; punit; si verò nostra injustitia Dei justitiam illustrat, & prædicat, sequitur Deum esse injustum, quia punit, quod illustrat, & prædicat divinam justitiam, vel vindicat peccata, ex quibus justitia Dei illustratur. Quod proponit v. 5. *Si verò injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus?* (humano more loquor, id est, non meam, sed aliorum prophatorum hominum sententiam hic profero) An dicemus? Deus irascitur, & infert poenam nostræ injustitiæ. E, Deus est injustus? absit. Nam consequens est absurdum, & per se, vel simpliciter impossibile, quod probat seq: Argumento.

Deus erit judex mundi.

E. Deus non potest esse injustus.

Consequens probat: Nam quomodo alioquin judicabit mundum. Absurdum itaq; est dicere, Deum esse judicem mundi, & esse injustum. Nam judex debet esse justus, qui enim injustè judicat, ille improprie, & abusive est judex, quod proponit v. 6. *quomodo alioquin judicabit mundum?*

(β) Absurdum quoque sit Antecedens, si enim homo est mendax, vel injustus, & non servat, quod Deo promittit, ut Deus justificetur in sermonibus suis, & vincat, quando judicatur: vel veritas Dei, per mendacium, & injustitiam hominis prædicatur, Cur amplius homo ut peccator accusatur, & condemnatur? Nam si ex malo culpæ eveniat bonum, malefacere, mentiri, furari, audacter calumniari, promissum non servare, domum proximi dolose malo captare, & sub specie juris, & recti suis facultatibus adjungere, erit utile, malumq; faciendum erit, ut eveniat bonum, quod est absurdum, & intolerabile. Nam peccatum non facit, ut Deus justificetur in Sermonibus suis, & vincat quando judicatur

cur; malum enim per se non potest esse causa boni. Cur nos Apostoli (sicuti quidam de nobis male loquuntur, & per calumniam nobis affingunt, quod faciamus mala, ut eveniant bona; & sicuti quidam ajunt, nos dicere) non dicemus, faciamus mala ut eveniant bona? quorum damnatio justa est, quia ejusmodi calumnijs, & diffamationibus gravissimè offendunt Deum, iustum, & supremum illum judicem, & querunt iniquissimè, ut nos Apostoli, & servi Domini nostri Jesu Christi, male audiamus, atq; suspecti reddamur in hoc mundo, quod proponit, & sua personam illustrat v. 7. 8. *Si enim veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur amplius ego ut peccator condemnor? Et v. 7. & 8. cur non (Sicuti de nobis male loquuntur sc. quod faciamus mala, ut eveniant bona, & sicuti quidam ajunt, nos dicere) non dicimus faciamus mala, ut eveniant bona? quorum damnatio justa est.* Vbi apostolus loquitur de malo culpæ, quod non est faciendum, ut eveniat bonum, quia hoc malum simpliciter pugnat cum lege naturæ, & expressa supremæ Majestatis voluntate, atq; propterea simpliciter est non eligibile. Nam quod contra legem naturæ committitur, peccatum est, à quocumq; etiam illud committatur, quia legis naturæ præcepta sunt universalialia, & obligant omnes homines. Neq; hoc malum contra virtutem & honestatem electum, & perpetratum salutem publicam verè promovet, & conservat, (ineptum est ita cogitare, & loqui) peccatis enim publicum bonum non promovetur, sed destruitur, & evertitur: peccatis iustitia Dei non illustratur, sed violatur, & ad vindictam exercendam, pœnamq; sceleratis infligendam excitatur, atq; impellitur.

(D) Negando, quod Judæi priori modo, id est ratione meriti gentibus ap. Deum præstent: quod probat seq. argumento:

Omnis Judæus est sub peccato. Omnis Græcus est sub peccato.

E. N. Judæus ratione meriti ap. Deum præstat Græco.

Consequens proponit figuratè v. 9. *Quid igitur sc. dicemus ad hanc questionem quæ queritur, an Judæi præcellant ratione v. 9. meri.*

meriti in iudicio Dei arguentis peccata? præcellimus nos Judæi
hac ratione gentibus? nullo modo.

Antecedens (α) probavit disjunctim Cap. 1. & 2. quod proponit
v. 9. Nam antea sc. cap. 1. & 2. causas attulimus, propter quas
Judæi, & Græci omnes sunt sub peccato, Vbi Apostolus docet,
quod certis argumentis evicerit in præcedentibus, Judæos, & Græ-
cos omnes esse sub peccato, vel apud Deum esse peccatores, sub
peccato conclusos, & ob peccatum condemnatione dignos. Nam
ὑποτίθηται significat causam adfero propter quam. Remittit
igitur contradicentem ad argumenta, quibus superioribus capi-
tibus Judæos, & gentiles seorsim reos egerat. (β) probat hoc
loco conjunctim multis argumentis, Judæos, & Græcos omnes
esse sub peccato.

Primum argumentum.

Omnēs Judæi, & Græci sunt non justī.

E. Omnes Judæi & Græci sunt sub peccato.

v. 10.

Antecedens probat, Nam scriptum est: *Non est justus, ne unus
quidem*, quod proponit, v. 10.

Secundum argumentum.

Omnēs Judæi & Græci sunt non intelligentes.

E. Omnes Judæi & Græci sunt sub peccato.

v. 11.

Antecedens probat quia scriptum est. *Non est qui intelligit*, quod
proponit v. 11. Vbi docetur, nullum hominem probare, & in-
telligere, quænam sit voluntas Dei bona, placens, & perfecta.
Consequens probatur; Nam positâ obscuratiōe, & cœcitate
intellectus omnium hominum, concedendum est, omnes homi-
nes esse peccatores, & sub peccato conclusos. Nam per intelli-
gentiam omnes homines debebant intelligere, cognoscere, ap-
prehendere, & dijudicare res spirituales & cœlestes; per pecca-
tum a. originale intellectus omnium hominum ita est obtene-
bratus, & caligine obductus, ut nemo naturâ percipiat. quæ sunt
spiritus Dei. Nam naturalis homo non præcipit ea, quæ sunt
spiritus.

Ter-

Tertium argumentum.

Omnes Judæi, & Græci sunt non exquirentes Deum.

E. Omnes Judæi & Græci sunt sub peccato.

Antecedens probat v. eodem, quia scriptum est: *Non est, qui exquirat Deum.* Vbi docetur, omnem hominem naturâ quærere, quæ sua sunt, non v. illa, quæ sunt Dei. Consequens probatur. Nam positâ aversione voluntatis omnium hominum à Deo, necessariò sequitur, omnes homines esse sub peccato conclusos; debebat quidem omnis homo, appetere res bonas, spirituales, & cœlestes, atq; averfari, quæ pugnant cum lege, & voluntate Dei, imò ante omnia ferri, & rapi in amorem optimi, & summi boni, (ita enim homo conditus est à Deo;) Verùm per peccatum originale voluntas ita est corrupta, & deformata, ut inter homines non reperiat, qui naturâ exquirat Deum, eumq; studiosè colat, & diligat.

Quartum argumentum.

Omnes Judæi, & Græci deflexerunt.

E. Omnes Judæi & Græci sunt sub peccato.

Antecedens probat, quia psal. 14. v. 3. Scriptum est, *omnes deflexerunt*, sc. à via justitiæ, & sanctitatis ad sua studia, & viam iniquitatis. Consequens probatur, Nam peccatum est *ἀνομία*, vel aberratio à lege. Si igitur omnes Judæi, & Græci defecerunt, sequitur omnes Judæos, & Græcos esse sub peccato.

Quintum argumentum

Omnes Judæi & Græci inutiles facti sunt ad bonum faciendum.

E. Omnes Judæi & Græci sunt sub peccato.

Antecedens probat quia Psal. eodem scriptum est; *Omnes inutiles facti sunt*: quod 1. proponit v. 12. 2. probat. (α) ex effectû in genere sequ. argumento: v. 12.

Omnes Judæi, & Græci sunt non facientes bonum.

E. Omnes Judæi & Græci inutiles facti sunt ad bonum agendum.

Antecedens probat v. 12. quia Psal. eodem scriptum est, *Non est qui faciat bonum*, non est usq; ad unum. (β) Ex effectû in specie

C 3

quo-

- quoad membrâ corporis, quæ per peccatum originale facta sunt arma iniquitatis, violentiæ, & iniustitiæ. Nam 1. Guttur eorum est apertum sepulcrum, quod probatur v. 13. quia Psal. 5, 11. scriptum est: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Nam per peccatum originale hominis guttur simile factum est aperto sepulchro, quod exhalat, & emittit tetrum, & pestiferum foetorem, quia per guttur ex corde egreditur, quod ob fœditatem & turpitudinem Deo maximè displicet. 2. Linguis suis dolosè agunt, vel ad dolum utuntur, dum fraudibus, & imposturis sunt oppleti, aliud loquentes aliud sentientes, quod probatur v. eodem, quia ps. 5, 11. ita scriptum est. 3. Sub labijs eorum geritur, quod simile est veneno aspidum, vel veneno nocentissimo, & occulto, in promptu enim habent mendacia, maledicta, calumnias, obtractions, & similia, ut & iustissimam pœnam, quam sceleribus suis sunt meriti astutè effugiant & suo venenoso afflatu, suâ lethifera oratione, suis calumniis, & obtractionibus innocentem in summam perniciem præcipitent, quod probat v. eodem quia ps. 140. v. 4. Scriptum est *Venenum aspidum sub labijs eorum.* 4. *Os eorum maledictione & amarulentia plenum est* sicuti scriptum ps 10. 7. 5. *Pedes eorum sunt veloces ad effundendum sanguinem.* *Contritio & calamitas est in vijs eorum & viam pacis non cognoverunt, quod proponit v. 15, 16, 17.* quia ita scriptum est, Esa: 59, 7, 8. Prov, 1, 16. 6. *Coram oculis eorum non est Timor Dei.* quod proponit v. 18. quia ita scriptum est ps. 36. 2. Vbi origo omnis virtutis adimitur homini; Nam ubi non est timor Domini, ibi præcipientes ruunt mortales in varia scelera, & flagitia.

Quemadmodum autem hypocrita ex lege divina multis admonitis rationibus, ut astutam vitæ suæ pravitatem maturè emendet, & corrigat, nisi velit audire, quod jam habeat mercedem suam, longèq; deterior sit manifesto Christi, & ecclesiæ hoste, impietatem suam sub specioso prætextu, blandissimis verbis, & simulatâ Sanctimoniâ vestit, & exornat, eaq; non ad se, quæ lex divina minatur, sed ad alios, qui non didicerunt scelera sua hypocritisi palliare, & externo fuce munire, opinatur;

Nam

(Nam in rebus humanis hypocrita acutissimè quidem videt, in rebus autem divinis, & ad salutem humanam spectantibus, siquidem & Deo, & mundo placere, & Christum cum mundo conciliare satagit, est cæcus, nudus, non calidus nec frigidus) ita quoq; Phariseus hoc loco ex lege multis argumentis satis disertè convictus, non obtemperat, sed contra responsionem apostoli excipit, quòd loca, vel testimonia è scriptura citata non loquantur de Judæis, & Phariseis, populo illo sancto, & electo, summoq; Zelo pro lege, & gloria Dei certante, sed de gentibus omni injustitiâ, & iniquitate oppletis: Opponentiigitur.

Loca, & testimonia è scriptura adducta non loquuntur de Judæis, sed tantùm de gentibus.

E. Ex illis non erat probandùm, quòd Judæi æquè sint sub peccato ac gentiles.

R. Apostolus ad Antecedens, quòd sit absurdùm, Nam 1. Judæi sunt in lege, 2. Judæis lex obstruit, & obturat os, ut in conscientia convicti ne verbum quidem habeant, quod opponant iusto, & summo judici, nullamq; sese in iudicio Dei excusationem invenire, & proferre posse, omnes fateri cogantur. 3. Judæi obnoxij sunt condemnationi Dei, Nam lex omnes homines, omnes Judæos, & Græcos accusat, & damnat. E. de Judæis, & Phariseis quoq; loca, è scriptura citata, loquuntur.

Consequens probatur. Nam si loca citata non loquerentur de Judæis, quæcunq; lex dicit, non diceret ijs, qui in lege sunt, neq; per legem omnium hominum os obstrueretur, neq; omnes homines essent obnoxij condemnationi Dei; *Scimus autem, quæcunq; lex dicit, ijs qui in lege sunt, dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei, quod proponit v. 19.* Vbi particula, ut, illationem notat, non verò causam, & ostenditur, neminem ex sese habere, quo gloriatur apud Deum, quo sese purget, & defendat in iudicio Dei, siquidem per legis accusationem, & condemnationem, omnium hominum os obturatùr, totusq; mundus est *ὑπόδικος*, vel obnoxius condemnationi Dei. Nam *ὑπόδικος* est, qui ex confesso est reus, & non habet, quo sese purget, & defendat, sed alterius eget ope, & patrocinio. 6


v. 19.

ὁ γὰρ ὑπόδικος. ait chrysoſtomus, κυρίας ἂν ἐκεῖνος λέγοιτο,
ὁ μὴ δυνάμενος ἀρκεῖν ἐαυτῷ πρὸς ἀπολογία, ἀλλὰ τῆς εἰρήμ
δεόμενος ἑαυτοῦ: Reus vel abnoxius ille proprie dicitur, qui
sibi ipſo ad defenſioem minimè ſufficere qvum poſſit, alte-
rius patrocinij indiget.

QValis autem fuit Phariſæus ille, cum quo Apoſtolus hîc diſpu-
tat, tales, proh dolor! hodie multi ſunt Chriſtiani. Illis verò
rectiſſimè opponitur: Non qui in aperto Chriſtianus, is Chriſti-
anus eſt, ſed qui in occulto Chriſtianus, is Chriſtianus eſt. Nam
qui in aperto, & non in occulto Chriſtianus eſt, is contemnit
divitias bonitatis, & tolerantia Dei: is ignorat, ſe benignitate
& lenitate Dei indies ad pœnitentiam invitari, & deduci, ſibiq;
quod horrendum eſt cogitatu, aggravat, & theſaurizat iram, &
vindictam Dei in diem iræ, & patefactionis juſti judicij Dei: Pro-
pter illum nomen Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti blaſphematur
inter Judæos, Turcas, & Tartaros. Unusquisq; igitur, (Sicuti S.
Johannes Chryſoſtomus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus
ſuper cap. 2. epiſtolæ ad Rom. ſcribit, omnesq; Chriſtianos be-
nignè ad hortatur) in ſuam ipſe conſcientiam descendens, pecca-
tis ſuis diligenter expenſis, exactam vitæ ante actæ rationem ſibi
repoſcat: ut ne tum ipſi damnemur, qvum orbis univerſi judici-
um fiet. Nam illud judicium quidem terrificum, horrendum
tribunal, timoris plenæ ejusdem quaſtiones, ac diſquiſtiones,
frater non redimit, redimet homo? Qui nam, obſecro te, tum
futuri ſumus, qvum vincti freudentibus in exteriores tenebras
dentibus abducemur? Seu potius quid facturi ſumus (quod ipſum
omnium terribiliſſimum eſt) qvum Deum offendemus, illiq; oc-
curremus? Nam ſi quis eſt, qui ſenſu, & mente præditus ſit, is
certè gehennæ pœnam tolerare malit, quàm adverſo Deo ſtare,
hoc verò qvum nobis grave non ſit, propterea ignem ille nobis
comminatus eſt æternum. Etenim oportebat tum demum nos
dolore affici, non qvum ſupplicio afficimur, ſed qvum delinqui-
mus. Audi igitur Paulum ingemefcentem, ac conqverentem,
vel pro peccatis iſis, ob quæ tamen pœnas daturus non erat. Non
ſum

sum, inquit, idoneus, qui apostoli nomine censear, hoc ipso,
quòd Dei ecclesiam fuerim persecutus. Audi & ipsum David
à supplicio quidem jam exemptum: Postquam tamen censeret,
Deum se offendisse, supplicium adversum semet invocantem, ac
dicentem: Domine, vertatur obsecro, manus tua in me, & in do-
mum patris mei. Nam Dei offensio nullo non supplicio gravi-
or est. At nunc tam miserè animati, affectiq; sumus, ut nisi ge-
hennæ timor esset, ne propositum quidem nobis sit bono aliquo
opere defungi. Quapropter, si nullam aliam ob causam, certè ob
hanc unam gehennâ digni sumus, quòd videlicet plus gehennam,
quàm ipsum Christum timemus. Quandoquidem autem amo-
re nullo capimur, certè supplicij hujus magnitudo quanta sit ne-
scimus. Atq; hoc ipsum est, quòd maximè omnium lamentor,
& deploro, quæquam quid tandem est, quod Deus non fecerit,
ut à nobis ipse amaretur; nos autem adhuc veluti stupidi facti
nullum erga illum affectum exhibemus. Quid hac feritate de-
terius? Nam si hæc ab homine aliquo in nos merita collata suis-
sent, nonne illi sapissimè servitutem addixissemus nostram? De-
um autem sic nobiscum agentem aversamur. O Deus immortalis,
miram nostram tum ignaviam, tum ingratitude! assidue qui-
dem peccamus, nunquam non in peccatis vivimus, qui si quando
vel tantillum boni officij præstiterimus, ingratorum fervorem
more, id certè accuratè ac veluti institoria cum supputatione
examinamus, curiosè de ipsa remuneratione solliciti, æquam
mercedem res à nobis gesta habere debeat. Atqui major tibi mer-
ces, si modò citra mercedis spem feceris, hæc enim dicitare,
& curiosè indagare, mercenarij potius verba sunt, quam grati servi.
Sunt enim omnia propter Christum agenda, non propter mercedem.
Ob hoc, & gehennam comminatus est, & cœlorum regnum pro-
misit, ut à nobis ametur; Amemus igitur illum, ut amare
par est; hoc enim magna certè merces; hoc cœlorum regnum,
& voluptas, & delitiz, & gloria, & honor, hoc lumen, hoc be-
atitudo infinita, quam ipsam nec oratio repræsentaverit, nec
mens comprehenderit. Sed nescio, quo pacto in hujuscemodi
ter-

sermonem abductus sim, qui iubeam homines, neq; principatus, neq; gloriæ præsentis contemptores, propter ipsum Christum, regnum cælorum contemnere, quanquam magni illi, ac generosi viri vel ad hunc charitatis modum pervenerunt. Audi igitur, ut Petrus illius amore uctus ardeat, & animæ, & vitæ, & omnibus rebus illum anteponeus: Quem dum abnegasset, non ad supplicium luxit, sed quod, quem amabat, cum abnegasse se videret, id quod nullo non supplicio amarius illi erat. Et quidem, hæc omnia Spiritus gratiâ nondum acceptâ præ se tulit, assiduè quidem instans, ac dicens: Quo vadis? & antea, ad quem nos recipiemus? ac rursus, sequar, quocumq; profecturus fueris. Omnia enim ipse illis erat, ac neq; cælum, neq; cælorum regnū amato præferabant: Tu enim mihi illa omnia, inquit. Enim verò quid miraris, si Petrus ita esset erga Deum animatus? Etenim audi, quid Propheta dicat, Quid enim mihi est in Cælo? Et illud, à te quid volui in terra? ac si dixisset: Nullius prorsus alterius rei, nec cœlestis, nec terrestis, sed tuo unius desiderio teneor, hoc sanè amor est, hoc amicitia: Hoc modo si amaverimus, nec præsentia bona, nec futura quicquam esse præ amore eo arbitrabimur. Verum tum fortunæ bona, tum hominum amicitias, tum corporis otium, tum principatum, tum gloriam illi præferimus, qui nobis tamè nihil quicquam anteponendum sibi putat. Vnum enim quam haberet filium unigenitū, ac legitimam, ne huic quidem propter nos pepercit: nos autem quam multa sunt, quæ illi præponimus? Nonne igitur meritò gehennam, nobis ac supplicium comminatur? quod supplicium si vel duplicatum, vel triplicatum, si vel decies millies gravius foret essetne, quam obrem meritò conqueri possemus, cum diabolica mandata Christi legibus anteponamus, cum vel salutem propriâ projiciamus, ut malitiæ opera illi præferamus, qui nihil nõ causâ nostrâ perpeffus est? Quam tandem hæc veniam mereantur? quam defensionē? nimirum nullam prorsus. Stemus igitur in futurum, ac ne per præcipitia feramur: Quin potius resipiscamus, omniaq; hæc nobiscum reputantes, gloriam illi per ipsa opera reddamus: Neq; enim satis bonum est per ipsa verba, ut & nos quoq; gloriæ ab illo emanantis fructum capiamus, Amen.



(Nam in rebus humanis hypocrita a rebus autem divinis, & ad salutem quidem & Deo, & mundo placere, & ciliare satagit, est cæcus, nudus, noquoq; Phariseus hoc loco ex lege multo convictus, non obtemperat, sed conexcipit, quod loca, vel testimonia quantur de Judæis, & Phariseis, popsummoq; Zelo pro lege, & gloria Deo omni injustitiâ, & iniquitate oppletitur de Judæis, sed tantum de gentibus

Loca, & testimonia è scrip tur de Judæis, sed tantum de gentibus
E. Ex illis non erat probandum, peccato ac gentiles.

R. Apostolus ad Antecedens, quod si sunt in lege, 2. Judæis lex obstruit, & entia convicti ne verbum quidem habito, & summo judici, nullamq; sese invenire, & proferre posse, omnes obnoxij sunt condemnationi Dei, Namnes Judæos, & Græcos accusat, & Phariseis quoq; loca, è scriptura cit

Consequens probatur. Nam si lo de Judæis, quæcunq; lex dicit, non d neq; per legem omnium hominum os homines essent obnoxij condemnatio cunq; lex dicit, *ijs qui in lege sunt, dicere obnoxius fiat totus mundus condemnatio* Vbi particula, ut, illationem notat, n dicitur, neminem ex sese habere, quo gl sese purget, & defendat in judicio Dei sationem, & condemnationem, omniu totusq; mundus est *ὐπόδικος*, vel obno Nam *ὐπόδικος* est, qui ex confesso est r purget, & defendat, sed alterius eget op


em videt, in
stantibus, si
mundo con
frigidus) ita
satis diserte
nem apostoli
tata non Jo
o, & electo,
d de gentibus
igitur.
non loqun

quæ sint sub

Nam i. Judæi
ut in consci
opponant ju
xculationem
tur. 3. Judæi
homines, o
e Judæis, &
ar.

loquerentur
in lege sunt,
neq; omnes
autem, quæ
obturetur, &
roponit v. 19.
n, & osten
Deum, quo
r legis accu
s obturatùr,
ationi Dei.
et, quo sese

v. 19.



the scale towards document